



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Theologia Universa**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

I. Incarnationis convenientia, necessitas, effectus, proprietates, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38477

etiam parochiale. Ad Beneficia *simplicia* requiritur Annus 14. saltem inchoatus: & ad Canonicatum Ecclesie Cathedralis ordo sacer, & annus 21. Ut *Monialis* sit capax Abbatie requiritur ut habeat annos etatis 40. & 8. annis a professione in monasterio laudabiliter se gesserit. Ipso jure vacant Beneficia per *matrimonium* valide contractum, & per *professionem*, id est, per vota religiosum constituenta: Unde eorum resignatio ante finem Novitatus ritè facienda est.

Quaestiones alia circa acquisitionem, amissionem, permutationem BENEFICII Ecclesiastici, traduntur in hoc Opere infra Tomo II. Part. III. Tract. I. & precedentibus. De SIMONIA circa Beneficia Ecclesiastica, & alias res sacras agitur ex professo hujus Operis Tomo II. Part. III. Tract. V. Cap. 12. in fine.

Hareses & Errores.

Contra hanc Secundam Secundae Theologiae partem, recensentur cum suis Auctoribus, ac Refutatione, in fine Tomi I. hujus Operis sub hoc Titulo, *Notitia Generalis Dogmatum ab Ecclesia Damnatorum*, ordine Alphabeticò, sub his Titulis in particulari. *Concilium, Fides, Deus, Christus, Ecclesia, Evangelium, Apostoli, Haeticus, Papa, Sacerdotium, Scriptura sacra, &c.*

Item, de Fide, Spe, Charitate supra Part. II. pag. 144. Item, de Justitia &c. in Titulis *Bellum, Inimicus, Injuria, Index, Juramentum, Lex, Mendacium, Occisio, Restitutio, Simonia, Tyrannus, Usura*, supra in *Notitia Generali* inchoanti pag. 144.

Item, de Jure & Injuria, supra Part. II. pag. 140.

Isde
kin

theo
logia

TERTIÆ PARTIS
PARS PRIMA

DE
INCARNATIONE VERBI DIVINI.

§. I.

Incarnationis convenientia, necessitas, effectus, proprietates &c.

DE hoc Incarnationis mysterio, Querit D. Thomas in summa Part. 3. Art. 1. *An fuerit conveniens verbum divinum incarnari?* Respondet affirmativè, uti & alii Theologi. Quia per Deum in carne visibilem cognoscuntur attributa divina per se alias invisibilia, v. g. Dei bonitas, justitia, sapientia, &c.

Neque dicas assumendo naturam humanam assumi etiam ejus imperfectiones, adeoque peccabilitatem.

Resp. enim, posse assumi imperfectionem sive malum pœnæ, non assumendo malum culpæ, cum culpa à malo pœnæ separabilis sit, & Dei infinitæ sanctitati repugnet.

Querit idem art. 2. *An necessarium fuerit Verbum Divinum incarnari?*

Resp. Non fuisse necessarium simpliciter. Quia potuit alius viis ac modis Deus finem suum assequi, fuit tamen necessarium secundum quid, scil. ut melius eum assequeretur, ad fidem, spem, charitatem, sui que communicationem, & malorum remotionem. An sine peccato originali Verbum incarnatum fuisset, infra dicemus.

Purus homo non potuit satisfacere pro tota natura humana. Quia peccatum est malitiæ infinite.

Querit art. 4. *An incarnatio facta sit principaliter ad delendum peccatum originale, an ad delendum peccata actualia?*

Resp. Ad originale principaliter, quia peccatum illud est majus *extensive*, scil. ad omnes; quamvis actualiale sit majus *intensive*, quia est magis voluntarium, utpote propria singulorum peccantium voluntate commissum.

Querit art. 8. *An Unio Verbi sit idem quod assumptio?*

Resp. negativè. Quia natura divina rectè dicitur unita, non tamen assumpta. Nam unio importat relationem, sed assumptio denotat actionem vel passionem.

Hinc Pater & Spiritus Sanctus uniunt, sed non assumunt, Filius unit, & assumit. Item, Natura Divina est unita, non tamen assumpta.

Queritur ulterius. An unio Verbi divini ad humanitatem, facta sit in Natura sive essentia, an in Persona divina?

Respondent cum D. Thoma *Quest. 2. Art. 2.* Theologi, factam non esse in Natura; sed in Persona. Quia Natura significat essentiam speciei, Persona totum habens naturam tamquam partem formalem, & sui perfectivam: ideoque ad hanc dicitur immediate facta unio hypostatica, unaque esse in Christo persona, unumque suppositum.

Persona, hypostasis, subsistentia non distinguuntur conceptu intrinseco, sed tantum connotato.

Assumi potuit à Verbo hypostaticè natura Angelica. Item, natura irrationalis v. gr. leonis assumi potuit in unitatem suppositi, etsi ea non videret Deum. Potuerunt etiam assumi duæ humanitates, aut una humanitas cum natura Angelica. Non ideo tamen necessariò dicerentur illæ duo homines, sed unus cum duplici humanitate, uti docent Theologi communiter.

Non potest hypostaticè assumi natura habens, & simul retinens propriam subsistentiam, uti nec ab humanitate Christi ea retinetur.

Quoad *Meritum Incarnationis.* Nec humanitas Christi, nec ipse Christus de facto illam meruit, etsi absolute potuit per opera subsequenta. Nec Patres eam meriti sunt, aut potuerunt mereri de condigno: quamvis poterant mereri de congruo illius circumstantias ut fieret tali tempore &c.

Virgo etiam *Deipara* non meruit de condigno, sed tantum de congruo *maternitatem* Christi. Ita de merito communiter Theologi.

Quoad *Gratiam in Christo.* Fuit in illo gratia habitualis, & ejusdem speciei cum gratia nostra. Illa de lege ordinaria magis augeri non potuit: quamvis potuerit absolute. Ex vi istius gratiæ non potuit Christus dici filius Dei Adoptivus: quia non erat Persona divinitati extranea, quod requirit ratio adoptionis.

Fides

Fides non erat in Christo, ut illa dicit assensum obsecurum rebus à Deo revelatis præstitum; fuit tamen fides in Christo alio sensu multiplici.

Gratia excitans & adjuvans de facto in Christo non fuit: cum illa non egerit: etsi ad actus supernaturales indigerit concussu generali ejusdem ordinis supernaturalis.

Scientiam beatificam in hac vita habuit, quamvis non habuerit gloriam corporis nisi post resurrectionem. Per illam scientiam non videbatur in Deo omnia possibilis: quamvis per illam videret quidquid novit Deus scientiâ visionis, non tamen eadem claritate. Habuit etiam scientiam per se infusam supernaturalem à beatifica distinctam. Cognitocebat quoque cogitationes cordium, & futura contingentia ab hominum libertate dependentia, uti sapius in Scripturis indicatur.

Voluntas in Christo duplex admittenda est, divina scilicet & humana. Nec non liberum arbitrium tam quoad potentiam, quam quoad actum. *Præceptum* etiam moriendi liberè acceptavit: quamvis non posset illud absolutè omittit, supposito quod præceptum fuerit absolutum: quod cum illius libera implementatione fuisset conciliant Theologi.

Meritum in Christo propriè fuit per varios actus, uti per actum amoris Dei qui sequebatur scientiam illius infusam.

Meritis sibi gloriam corporis, nominis sui exaltationem, impassibilitatem animæ, resurrectionem, ascensionem, adventum ultimum, & quidquid in laudem illius factum est aut fit à creatura rationali. Non tamen meruit gloriam animæ, aut gratiam sanctificantem: quia necessariò illi competeabant ratione unionis hypostaticæ.

Fomes peccati à Christo aberat tam in actu primo quam secundo. Uti & *ignorantia* positiva, aut *error* in intellectu: quia non consistebant cum statu corporis & animæ divinitati unitæ. Nec refert quod in Scriptura aliquando dicatur quædam admirari: hoc enim non importat quod simpliciter ea ignoraret, sed quod essent ipsius experientie insolita.

Christus fuit verè *Rex*, sic ut habuerit regiam potestatem, & Dominium radicale in omnes res mundi in actu primo, quamvis in actu secundo illam non exercuerit, nisi in paucis. Hanc enim potestatem ratio filiationis Dei per unionem ad Verbum verè importat.

Non rectè dicitur Verbum divinum *prædestinatum* ut esset homo, sed bene esse prædestinatum sive decretum ut fieret homo: nempe per unionem ad naturam humanam.

Adorari potest *Humanitas* Christi eadem adoratione latriæ quoad substantiam quâ adoratur ipsum Verbum divinum. Sed cum hoc discrimine, quod Verbum ratione sui adoratur, *Humanitas* autem ratione Verbi sibi per unionem communicati.

Quo modo Imago Christi possit adorari, & imagines Sanctorum possint coli, traditur supra in Tomo I. Tract. II. Cap. 12. pag. 79.

§. II.

Incarnationis substantia, unio, meritum, motivum, &c.

Primò dicendum, per Unionem hypostaticam duas esse in Christo naturas in Persona Verbi subsisten-

tes, naturam scilicet divinam & humanam, sine ulla Naturarum, Voluntatum, aut Operationum confusione: remanentibus etiam post unionem Proprietatibus utriusque naturæ. Quod constat ex Concilio Calcedonenſi sub Leone Magno anno 451. ubi definitur *Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum esse, nunquam sublatâ differentiâ naturarum propter unionem*, juxta illud Joannis primo: *Et verbum caro factum est.*

Secundò, Unionem Verbi incarnati factam esse in Persona, sic nempe ut compositum resultans ex utraque natura sit una Persona, adeoque in Christo unicum esse Suppositum. Ut definitum est in Concilio Ephesino sub Cælestino Pontifice.

Tertiò, ex eodem dicendum, *Humanitatem* Christi fuisse propriè, physicè, & personaliter unitam Verbo, & non tantum habuisse cum eodem conjunctionem extrinsecam, moralem, aut accidentalem per amorem, & concordiam voluntatum, & operationem rerum mirabilem, ut volebant Nestoriani.

Quartò, quoad Sanctitatem & impeccabilitatem naturæ humanæ in Christo: Certum est inter Theologos; primò Christum de facto numquam peccatum qualecumque admisisse: & hoc de fide est et illo Petri 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolens in ore ejus.* Secundò certum est etiam Christum non potuisse peccare in sensu composito, id est, remanente unione. Tum quia fuit beatus à primo conceptionis suæ instanti, cum beatitudine autem non consistit peccatum. Tum quia ex vi unionis hypostaticæ communicatur humanitati Christi sanctitas Verbi infinita, exclusiva omnis peccati.

Porrò, *Quæstio Theologica* est, An potentiam absolutè in sensu diviso unionis humanitas peccare: quod fieri non potuisse docet communis consensus Patrum & Theologorum apud Suarez hic *Disputat. 32. Sect. 2.* & Valquez *Disputat. 61. Capite 3.*

Quintò, Dicendum cum D. Thoma, & meliori parte Theologorum, Unionem hypostaticam esse aliquid realiter distinctum à natura divina, & humana. Ita docet etiam Scotus, Suarez, alique communiter, Contra Nominales, & aliquos Recentiores, Quamvis ipse Occamus Princeps Nominalium ab illis in hoc dissentiat in Tertium, *Dist. 1. quæst. 1. Dico, inquit, quod unio addat aliquid ultra extremam unitam quæ hic non potest evadere per negationes, & connotationes.* Rationem assignat D. Thomas, *Quia potest esse Verbum, & hæc Christi humanitas, sic tamen ut humanitas non sit unita Verbo: ergo illa duo esse inter se unita importat aliquid ultra humanitatem & Verbum.*

Sextò dicendum, *Actiones* Christi meritorias habuisse vim merendi & satisfaciendi in actu primo extensivè infinitam, sive valorem sufficientem ad præmium & satisfactionem infinitam. Ita cum alius Suarez hic *Disp. 1. Sect. 4.* qui docet vim illam infinitam provenire à Sanctitate increata Verbi, quæ cum sit infinita, & humanitati unita, actiones Christi infinitè dignificat. Quantò autem persona est dignior, tantò majus præmium ipsius actioni, & obsequio respondet. Hinc sequitur Christum pro peccatis humani generis non tantum condignè, sed etiam copiosè, & abundè satisfecisse. Et patet ex Apostolo ad Ro-